

theriacalem, temperamentum auxiliare & symmetriam ab igne mutuari: nec Mesues ignorat. Quanquam enim dixisset, flammam & vehemētem calorem medicamento facultatē resolueret: quid enim ignis violentiæ resistat? quum tamen intellexisset, eam violentiam pro rei præparandæ conditione, minui vel intendi posse, rectissimè professus est, affationem facultatem alteram augere, alteram deprimere: vt rheobarbarum cogat & myrobalanos purgandi vim omnem actutum deponere, adstringēdi liberè & instanter exercere. An ergo mirum dixisse Scaligerum: In Alembico coaceruata & multa & diuersa & cōtraria ita miscere ignē in eo vase, quod Recipiēs dicatur à sufflatoribus, vt nulla vi præterea seiungi queant? Itaq; Remedium exactè simile, & ex quatuor elementorum συζυγία cōpositum, dum ignis ea operatione, quam artifex molitur dispescitur, abscedunt quidem diuersæ illius naturæ: sed cū nō ita sincerè, vt quo pacto ex ijs generatum est mixtum, iam in easdem postliminiò reuertatur: ideo partim elementorū, quæ
re-

Exerc. 103
12.